



Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

De Horis Canonicis Juxta Rubricas Breviarii Romani ritè recitandis - In qua etiam ipsæ Rubricæ Notis brevibus illustratæ, & Martyrologij Romani nomina suis Accentibus signata continentur, Ad Faciliorem Discentium Vsvm Ac Praxin

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1676

Tit. XXIII. De Canticis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48333](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48333)

G. Quia hic Versus est lætitiæ, atque adeò non convenit tristi Defunctorum Officio.

VIII. Ut Sacræ vulgatæ editionis puritas inconfusa & illibata servetur, etiam quoad interpunctiones & distinctiones in Sacris Biblijs appositæ, additus est Asteriscus, ut in nota Musicæ partitionis in medio Versu.

TITULUS XXIII.

DE CANTICIS.

I. **C**Antica *b.* dicuntur in Officio in Tempore *q.* tam de Dominica, quàm Ferijs ad Laudes, Vesperas, ad Completorium, ut in Psalterio distribuuntur.

H. Quod Euthemius in eo à Psalmo distingui putat, quod Psalmus sit carmen cum instrumento Psalterij, Canticum autem vox Musica cum Harmonia solo ore prolata. Mystice verò, juxta Gavantum f. 5. c. 9. n. 1. Psalmus bona opera, Canticum gratiarum actionem significat.

II. In Festis & tempore Paschali ad Laudes semper dicitur Canticum *Benedicite*, ut in Dominicis, & in fine ejus non dicitur *Gloria Patri*, sicut in alijs Canticis dicitur, nec respondetur *Amen*. Alia Cantica Ferialia ut in Psalterio, ad Laudes non dicuntur, nisi quando Officium fit de Feria extra tempus Paschale.

III. Canticum *Benedictus*, *Magnificat*, & *Nunc dimittis* semper dicuntur suo loco, ut in Psalterio. *i.*

l. Quæ, quia ex Evangelio deprompta sunt, Evangelica vocantur, ac propterea ad initium eorum aliqui, sicut ad initium Evangelij, signum Crucis formant, quemadmodum etiam Episcopo ad *Magnificat* in Cæremoniali Episcoporum l. 2. c. 1. præscribitur.

TITU-